

Si intermedij planetae retrogradationis aut combustionis vicio laborauerint, & tamen in suis essentialibus dignitatibus fuerint, puta domicilio vel exaltatione, vel mutua receptione ex iisdem dignitatibus, etiam in numerum adsumuntur.

Ubi neque huius regulae usus esse potest, considera quot planetae dominum septimae domus partiliter aspiciant, siue sint illi retrogradi siue combusti, et inde numerum vxorum collige. Fieri autem vix potest, quin harum regularum vna saltem se accommodet ad usum. Habes igitur vniuersalem quandam & simul specialem doctrinam, in hac parte.

QVALES DECERNANTVR nato vxores.

Hoc iudicium magis constat ex aphorismis & specialibus praecipis, quam generali seu vniuersali doctrina. Attamen ut ordinem hactenus obseruatum sequamur, sit haec generalis obseruatio. Vbi de numero vxorum constiterit, ex planetis Lunam aspicientibus, vel ei corpore iunctis, ea ratione ut in praecedenti loco dixi, videlicet Luna ad eos applicans &c; tunc considera naturam planetae vel planetarum, Lunam sic aspicientium per coniunctionem vel alium radium, & ex eorum natura iudicium sume de qualitate vxorum.

Saturnus vxorem promittit Saturninam, hoc est, (si bene afficitur) taciturnam, grauem, consultam, parcam, laboriosam &c. Male affectus, tetricam, morosam, suspicacem, pertinacem, inuidiam, pigram &c.

Iuppiter si foeliciter constituatur, piam, mansuetam, castam, nobilem, honestam, aconomicam &c. Si infeliciter, significat quidem eas virtutes, sed fucatas imperfectas, & coniunctas cum aliqua labe.

Mars bene affectus, cordatam, animosam, impatientem seruitutis & iniuriarum, vindictae & dominij cupidam, iracundam &c. Male affectus, rixosam, contumacem, violentam, sumptuosam, infamem &c.

Venus si feliciter constituatur, formosam, lepidam, suauem, urbanam, affabilem, honestam &c. Si infeliciter, decernit eadem, sed imperfectius & simulatum quiddam.

Mercurius bene affectus, ingeniosam, circumspectam, facundam, sagacem & victui parando idoneam &c. Male affectus, callidam, astutam, mendacem, aliud corde aliud ore prementem, instabilem, maliciosam &c.

Luminaria ad hanc considerationem non adhibentur.

Et haec quidem ad animum pertinent. Quod si de statura corporis etiam conijcere aliquid libet, compone iudicia ex doctrina de natura planetarum, & signorum in figura & configuratione corporis constituenda, quam supra de forma & statura corporis exposuimus.

De diuitijs autem vxoris considera eosdem planetas, quos iam dixi, videlicet qui Lunam applicantem aspiciant, per coniunctionem vel alium radium &c. Quod si iisdem fuerint benefici & potentes, decernunt vxorem diuitem, opulentam, nobilem, aut ex claro genere. Si malefici & debiles, contrarium.

In specie autem benigni planetae in septima, praesertim si potentes sint, opulentas & nobiles vxores significant. Malefici ibidem & imbecilles, significant pauperes, ignobiles. Si vero malefici fortes fuerint, diuites quidem, sed malitiosas & omnino imperfectius aliquid aut cum labe coniunctum decernunt.

Haec consideratio inter omnes regulas maximè vniuersalis esse videtur in iudicio de qualitate vxorum, & vix inuenies aliquam generaliore, hoc est, quae ad plures natiuitates accommodari possit. Specialia praecipia plurima sunt, qualia sunt ista.

Dominus septimae in 10. vel contra dominus decimae domus in septima, nobilem promittit vxorem.

Dominus secundae in septima, vel dominus 7. in 2. diuitem, opulentam.

dd 2 Dominus